

Ann. V.

Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aquissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK
52, Barclay Street.

CINCINNATI
436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost et S. Rituum Congr.
Typogr.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

DE PERICULO QUOD BRITANNIAE INSTAT	H. A. Strong.
DE PRONUNCIATIONE LINGUAE LATINAЕ	H. D. V. Pieralice.
« MARK TWAIN »	I. Antonelli.
DE NOSTRA DOCENDI RATIONE	A. Castellini.
VITA HOMINIS	T. Vignas.
COLORUM PHOTOGRAPHICA EXPRESSIO	A. L.
NIC. MACHIAVELLI SENTENTIAE DE CIVITATE. Latine interpretatus est.	C. Dehò.
DE GUIDONIS RENI TABULA S. IOANNEM PUPERUM EFFINGENTE	A. C.
DE « SYMBOLISMO »	Senior.
MADRITENSIA SOLEMNIA OB ALFONSUM XIII Hispaniae REGNUM INEUNTEM	A. Vieillot.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE	Fr. Xav. Reuss.
DE EXTERMINIO ANIMANTUM AGRIS NOCENTIUM	P. Alexis.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	P. Angelini.
AENIGMATA	A. E. De Druffel.

In secunda operculi pagina:

PROSPECTUS NOVAE SUBNOTATIONIS COMM. VOX URBIS A KAL. IULII
AD EXPLETUM ANNUM MCMII.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Lethalis arbor. - Caspiumne mare recedet? - Balbuties, certa
crescens, decrescens periodo - Ioci. P. d. V.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMII

AD MAGIS MAGISQUE

“VOX URBIS,, COMMENTARII PROPAGATIONEM AUGENDAM
NOVA INDICTA EST SUBNOTATIO

A PROXIMIS KALENDIS IULIIS USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII

(NUM. XIII-XXIV).

UT ACCEDERE OMNES POSSINT

SUBNOTATIONIS PRETUM CONSTITUTUM EST:

Libel. **2,50**; Mar. **2**; Sch. **2**; Rubl. **1**; Cor. **2 $\frac{1}{2}$** .

Qui insolita, gratuita paene, huius consociationis ratione frui volunt, nulla interposita mora, *nomen suum cum pretio recto tramite mittant ad*

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARII “VOX URBIS,, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,

ROMAM, via Alessandrina 87.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques,
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE PERICULO QUOD BRITANNIAE INSTAT

BRITANNIS, praesertim peregre habitantibus, mirum videri solet varias audire causas, quae rem publicam nostram exitio daturae creduntur. Plurimis spes ipsa ex voluntate oriri videtur: aliis autem numero paucioribus, calamitas quaedam improvisa Britanniae impendere iudicatur quae populum libertatis amatorum e superba sede deiectura sit. Apud plerosque auctores segnitiem in commercio agendo culpae obiectam invenio: aliis rei militaris imperitia malorum praesentium origo dicitur: sunt qui imperii magnitudinem, divisas pelago terras, populorum diversitatem, animos subiectorum ditioni nostrae male iugum ferentes mali causam arbitrantur.

Talia vaticinantibus respondendum videtur nihil umquam post memoriam viventium laetius accidisse quam coloniarum nostrarum amorem atque fidem integrum; rem speratam quidem, neque tamen satis probatam. Non deerant enim qui, me iuvene, affirmare auderent has ipsas colonias nobis oneri periculo exstare ut quae contra exteris nationes sumptu nostro defendendae essent. Id quod secus, ita voluit Fortuna, accidit: quippe coloniae illae, nostri periculi discrimine, patriae communis non immemores, arctiore adhuc foedere imperium confirmare imprimis student. Neque ulla tempore memini civium nostrorum animos amore in colonias magis accendi quam hodie.

Neque tandem est negandum, insulam ipsam nostram periculo cvidam obnoxiam esse, quod paullatim magnas olim nationes subvertere solitum est: cui periculo Romanum imperium, quod maximum in terris exstitit, victima cecidit. Latifundia perdidere Italiam: colonorum migratio ex agris in urbes Britanniae non sine periculo quotidie evenit. Frumentum, triticum, farinam veetigalibus solutum e Canada accipit Anglia: unde fit ut agricultoris nostris negetur frumenti segetes producere, quae macello nostro sufficient. Contra autem urbium illecebrae, cursus, popinae, scholae, theatra agricultoribus nostros in dies magis e rure eliciunt: hinc oritur soboles patribus vitiosior, debilis, impotens. In coloniis vero vita simplicior et magis naturae conveniens: quamobrem me ipse confiteor eorum esse, qui colonias insulae nostrae superfuturas existimem, nostrique generis florem trans pelagus, annis postea multis, inveniendum fore auguror. Neque enim facile computares quot millia hominum insula illa ipsa, nisi continentem appellare mavis, pascere possit: quae tamen vel hodie paucissimis incolitur atque novis incolis terras, fundos, divitias pollicetur.

Ex athenaeo Liserpalensi.

H. A. STRONG.

DE PRONUNCIATIONE LINGuae LATINAe.

TALES bono, tales veritati sunt vires, ut, in homines vel invitatos ubi saepissime recurrent, illos tandem aliquando devincant, expugnant, atque devinciant. Hinc quotquot pro veritate tuenda tutandaque arma sumpserint, non modo rectae conscientiae testimonio, quamvis universae dissentiant gentes ac sint contra, laetantur, sed eos bona spes alat necesse est, qua futurum praeripiant. Nam erit profecto tempus et illucescat dies, qua partibus depositis omnes unum fateantur amice oportet; in hoc autem consensu nemo victor, nemo victus exsistet, nullaque flagrabit invidia victos inter atque victores. Qui enim semetipsos veritati subiiciunt non homini sed Deo semetipsos subiiciunt, neque hominum cuivis morem gerunt, sed animo suo gerunt suadenti iis quae vera sunt, prohibenti contraria.

Et quae de veritate dixi, ea de bono pariter dicta velim; ferimus quippe in bonum amplectendum naturali impetu, prout in veritatem invincibili trahimur instinctu; et sequi bonum, prout alii suaserint, non aliis inservire est, sed sibi, sed utilitati propriae inservire. Quum autem veritas non alia Romae sit, alia Athenis, sed una ubique, sicut unus ubique Deus, reiectis aemulationibus, (quas angustiae humani pectoris in perniciem humani generis alunt), in idem, ut confitemur et sequamur, aliquando venimus, et in unam redibit familiam multitudine populorum, quasi rediens in tempora, quibus «omnis terra erat labii unius, et sermonum eorumdem» (1).

Sed aeterno humani generis hosti parum fuit oceano dissociabili, spatiis terrarum immensis, soliditudinibus, nemoribus, fluminibus, alpibus interiectis gentem a gente abscondere, nisi penitus, prout superbia snadebat, et abscondideret diversitate linguarum, qua frater fratris fieret extraneus, ac dicentem dicens non inteligeret. Consternebatur in discordiam via, qua humanae res, etsi maximae, dilaberentur. Itaque brevi factum est ut sanctissima polluta sint nomina, gravissimae religiones partim distractae, partim reiectae, violatae omnes tantam morum diversitatem induxerint, ut a diversitate gentes in odia et inimicitiis corruerint, mox in bella et caedes, iamque esset homo homini lupus, et genus omne nostrum in mancipia et tyrannos divideretur. Pater et rex hominum Deus Noachiticis praecepsit, Mosaicis iussis homines in obsoletam fraternitatem et unitatem iampridem revocare conatus, novissime per filium suum Iesum loquutus est, quae decreverat, futura omnino praenuncians, ut fie-

ret «unum ovile et unus Pastor». Iamque romano Imperio praeparante unitate sua vias Domini, concordiae amplissimae saeculum adventabat, cum haeresum malitia, Barbarorum incursus, Mahometanae nequitiae, omnia late disrupterunt, et novae discordiarum causae, novae caedes, rapinae, incendia, scelera passim bacchata sunt. Interea fati sui memor, quo nata est, sparsas undequaque tot furiantibus procellis reliquias Roma colligere, congregare; mittere bonae notitiae nuncios, qui pristinam restituerent unitatem; afflante Spiritu et sapientes excitante, doctrinas, mores docere, sancta suae disciplinae verba sanguinolento probare martyrio, omnia facere, ut familiae gentium, Christo audientes dicto, in unam iterum concordemque familiam coalescerent. Verum quia doctrinarum et morum unitas unitatem sibi pariter vindicabat sermonis, in hanc unitatem saevitum quoque est, tempusque fuit, quo latinus sermo, hoc namque usa est Roma ab unguiculis, imperatorius quippe est, et gravis, et sapientia legum ferme divinus, latinus, inquam, sermo exterminandus penitus praedicaretur. At, quadam resipiscientia caelitus immissa, mussare primum incerti sapientes, quotquot e singulis sunt civitatibus et regionibus, mox iniustum praedicare exterminium linguae, cui totus aetatis nostrae cultus innititur, siquidem romani cultus haeredes et filii sumus, damnosum denique et non ferendum. Est etiam ultra. Insolentes infamiae negant maternum sermonem reiicere, a quo urbanitatem, humanitatem, disciplinas, mores, sapientiam hauserunt, nolunt ingrati animi nota inuri apud eos, qui haec nostra saecula nuncupabant antiqua. Iamque vox haec perstrepebat, iamque sermone omnium opinio haec percrebrescebat, quum subito (nam fata sic urgent irrevocabilia suum) necessitas quaedam nova populos occupat, quam brevi sic explicabo.

Spatia terrarum, viasque metiendas vapor, electrides eo contraxerunt, ut nunc universus terrarum orbis quasi pagus quidam facile cuique peragibilis habeatur. Sexcenta vero, breves per dies, insonant euntium auribus idiomata, sermones, eloquia, quae omnia et noscere, et loqui impossibile homini est, sive negotiatori, sive rerum scrutanti naturas, sive voluptatis causa abeundi et exterarum rerum incruentis. Unus ergo eligendus est sermo, qui penes omnes idem, et communis omnibus sit, qui principalitatem, sit venia verbo, qui praedominium, qui superbiam quamdam excellentiae nemini ex gentibus et nationibus conferat. Hinc in latinum sermonem sunt omnia vota conversa, idque magis, quia eius verba inseminata sunt in omnibus linguis. Quinimo ita

(1) *Genesis*, cap. XI, v. 1.

hoc se habet, ut qui, exempli gratia, anglicum lexicum aperiat, prima fronte credit sibi cum latino potius, quam cum anglico lexico rem esse. At ubi ad vocum enuntiationem ventum est, voces illie ad apicem et iota quae scriptae consentiunt, sono expressae longe aliae sunt, penitusque dissentient. Hoc ad amovendum incommodum, quo iidem in eadem re prorsus diversi videmur, plura nos disseruimus in Commentario nostro, amice conspirantibus nobiscum doctissimis ex Anglia, ex Hispania, ex Gallia, ex Germania, ex Russia, ex ipsa America utraque, quorum epistolae, laude eorum dicam, saepe relatae sunt in Commentario nostro, et litteratissimis viris honos est habitus et obsequium, prout potuimus, nisi prout merebant.

Quae omnia, subiectasque elucubratiunculas nostras, qualescumque hae sunt, videre quisque passim potest, qui consulat annos Commentarii huius II, III et IV. Neque academice, ut aiunt, tantummodo disseruimus, sed modum et facilem et prudentem indicavimus quo, his rebus quae nunc sint, genuinam pronuntiationem latini sermonis unusquisque in proprio sermone haberet, eaque mirifice potiretur. Res adeo placuit ut gratulatorias exceperimus litteras undique missas, quae praenunciabant auctores suos enixe facturos, ut ad romanam pronuntiationem per iter a nobis indicatum latinitas omnis apud omnes populos reduceretur. Cum igitur quasi in speculis moraremur observantes quemadmodum tam optata in re unusquisque horum se gereret, ecce commentarius ab America affertur in urbe Valleyfield editus, idibus Martii nuper elapsis, cui nomen *Revue Ecclésiastique*. Quae illie pag. 173 et sequentibus legimus, non mediocre causa laetitiae nobis fuerunt, quippe intelleximus utroque pede in nostram ire sententiam gravissimos ex America viros, auctoritate, moribus, dignitate, munere, sapientia spectandos, iisque eos arridere, qui ex Gallia sunt pares. Traditur ibi quod in optimum perget exitum quaestio de pronuntiatione linguae latinae; quod vel acerrimi nuper contra dicentes consentiant in romano sono latinis vocibus tribuendo, quum abnorme sit eadem alia esse hic, alia illi, atque ita per aequivoca passim dilabi. Additur, quod nobis quidem egregium in re argumentum erat, poeseos et musicae legibus contineri quidquid de pronuntiatione latini eloquii sit iudicandum, ideoque iis iudicibus in romanum morem sonumque triumphaliter referri (1).

Quinimo commentarius hic Campivallensis praeclera sibi spondet futura ex eo quod, officinae librariae M. Poussielgue cum sit modo creditum munus edendi paelo libros chorales ab « antiphonariis » ad « caeremoniale Episcoporum », et « martyrologium » et « missale », in iis modulationis Gregorianae sub notis vocales ponantur ita accentibus distinctae singularum propriis linguarum, quae Romanam referant optimam et ad unguem pronuntiationem et sonum.

Neque secus esse potest, nec spes alio cadet, nam ita edoctae aures, edocta ora sensim sine

(1) Idque hisce solennioribus verbis: *Lorsqu'il est question de prononciation romaine du latin, il faut toujours y joindre la question de l'accentuation rationnelle du latin — accentuation complètement négligée, et même ignorée en certains milieux — au mépris du bon sens, et du bon goût.*

sensu in veram pronuntiationem redibunt. Redibuntne? Numquid olim ista fuerunt? Credo; quippe Carolus, Francorum ille Augustus, Imperator cognomento Magnus, a romano Pontifice postulavit et habuit e schola cantorum Romana, qui parem scholam apud eum instituerent Romano accentu, Romanoque numero sacra modulantem. Qua semel instituta, facilis transitus patet ad ea, quae in disciplinis theologicis, philosophicis et utriusque iuris traduntur; idque commentarius idem auctoritate egregii praecessoris M. Secheresse confirmat; cuius verba, prohibente spatio, praetereunda sunt nobis, quamvis minime praetereunda videantur; quippe ostendunt mirifice quam exiguo labore maxima haec obtineantur, proposita praesertim utilitate audientium, qui pronuntiantibus gallice labiis, (cur non et germanice et anglice?) penitus diversa intelligunt, et a sono carminum Vergilii, et a numeris Tullianarum periodorum aliena; et incredibilia interdum atque ridicula, interdum etiam sacrilega, et prorsus infanda relatu, potissimum si consonantium afflatus a romana pronuntiatione inferatur diversus.

Quis enim tibi videtur Aeneas prosternens iaculis septem ingentes corpore « cervos », quorum corpora dat edenda sociis, si gallice legeris « ingentes corpore servos? ». O pius Aeneas fama super aethera notus!... Quid si « theologiam » *viologiam* pronuntiaveris? Quid si diaconus decantaverit, ut non « incipiens » dicat: « Et erat Iesus *insipiens* quasi annorum triginta? ».

Ita prorsus quam latini pronunciationem sermonis iuxta romanum modum nos tuebamur, tanta necessitate mirabiliter brevi tempore crevit, ut omnino et perficienda et absolvenda diebus hisce nostris videatur.

Qua nos quidem in re dum gratulamur americano commentario, dum ei grates agimus quod ipse quoque ad veritatis et unitatis aedificium lateres, caementa, saxa et operam contulerit, laetamur adesse omnia, quibus moneamur omnia fore, — utinam cito! — in pristinam redditura unitatem.

H. DE VECCHI PIERALICE.

« MARK TWAIN »⁽¹⁾

MARK TWAIN, Americanus ille satyrici stili peritissimus, quem late mundus honorat, suo vero nomine Samuel Langhorne Clemens vocatur. Qui anno MDCCCXXXV pridie kalendas Decembres natus Floridae, in oppido Missurianae reipublicae, ex nordica Americana foederatione, per utramque oram Oceani famae celebritate inclaruit. Parentes eius tunc adamussim temporis occidentales plagas reipublicae petierant, cum hae commerciis industriisque artibus optime iam florere videbantur. Tunc enim non pauci cives incultas glebas pretio ementes summam exinde fortunarum copiam sibi compararunt, cum iis in terris urbes florentissimae brevi e solo excitarentur ubique. At non eadem Samuelis nostri parentibus fortuna arrisit, cum hodie Floridae illud oppidum sexagesimo iam

(1) Noticias de scriptore hoc deprompsi praecipuas ex scripto quod Samuel E. Moffett, ipsius « Mark Twain », nepos, edidit in comm. *Mac Clure's Magazine* mense Octobri MDCCCLIC.

anno ex quo conditum est, vix centuriam civium dinumeret.

Samuel igitur haud multae pecuniae haeres paterno ex asse exstithit; verumtamen ingenium sortitus est acerrimum maximeque perspicax, acutamque mentis aciem et foecundam cogitationum copiam. Favit insuper illi sua quoque cultura, eaque non ordinaria sane, neque ex athenaeis accepta, sed ex vitae ipsius universae adspectu, exque hominum conversatione et librorum omnium lectione hausta. Gymnasium eius libraria officina fuit, unde frater maior natu ephemeridem quamdam vulgabat. Samuel tredecim annos natus omnes ibi artes librorum edendorum didicit, et quoties forte moderator ephemeridis abfuisset, breves ipse animadversiones ut vulgarentur exarabat, quas oppidanis perculta mente, licet haud multis laudibus, perlegebant. Indocilis autem puer erat atque inquietus, neque semel e fluminis gurgite cum paene demergeretur, erectus est a nautis domumque deductus.

Anno tandem MDCCCLIII domum repente ille reliquit, atque ex una in aliam urbem vagari coepit, quotidianum sibi victum typographica arte comparans. Sed quatuor post annos, molesti sibi operis impatiens, navis gubernator fieri maluit, quod tamen non obtinuit nisi diuturno labore atque studio, ut omnia loca, quae in longissimi Mississippi fluminis ripis eminent, addisceret, totiusque alvei gurgites imperios et insidias funditus calleret. Quo peracto studio, factoque feliciter periculo, nautae titulum a sodalicii fluvialis magistratibus impetravit. At paucis post mensibus ab inita navigatione, bellum, quod est « a secessione » dictum, exarsit, ita ut impossibile onne iter evaserit; meridionalis enim fluminis alveum omnem, et ripas, et cursum, ex munitis oppidis exque foveis, ballistae ignivomae quotidie missilibus hinc inde persulcabant.

Eo tempore vero Samuelis frater, Lincoln praesidi vir acceptissimus, qui primus scriba in Nevada republica electus fuerat, suasit ei ut a secretis sibi sua vice esset, et nullo labore, sed pariter mercede nulla munus acciperet. Decem et octo dierum absunto itinere uterque frater ad suum locum pervenere, tumque Samuel novam vivere vitam instituit, atque variam modo ephemeridibus scribendis, modo etiam agendis cuniculis deditam; sed litterae praesertim, quas ad diaria mittebat, eius aper- tum subtileque ingenium primum detexere; quippe quae facili atque festivo stilo descriptae, et mores hominum atque defectus compte pariter urbanque carperent.

Anno MDCCCLXVII, una cum viatoribus a diario quadam Caliphurniano missis, in Iudeam Galileamque iter fecit, ex quo reversus volumen illud edidit *The Innocents Abroad*, quod famae eius caput initiumque vere exstithit; exemplaria enim statim vulgata atque empta sunt centum millia et ultra, ita ut brevi scriptor, popularem auram cum contigisset, ex una in aliam urbem progrediens sermones dissertationesque feliciter habere posset atque inde multam pecuniam lucrari.

Tunc uxorem duxit Oliviam illam Langdon, civem suam ex nordica America, cui ipso in Iudeae itinere occurserat. Quinque ex ea liberis

habuit, quorum quae lectissima fuit, Olivia, non communi ingenio praedita, summa iuventa oceubuit. Post nuptias noster Buffalo in urbem migravit, ut diario *The Buffalo Express* adlaboraret. Brevi tamen; nam huius vitae pertaesus Hartford in oppidum secessit, ut libris scribendis se totum daret; quorum celebratissimi in vulgus editi sunt *Roughing It*, *The Gilded Age*, *Tom Sawyer*, aliisque plures, inter quos laudatissimus ille *Personal recollections of Joan of Arc*. Sed tamen an. MDCCCXCIV versa Samuelis rursus fortuna. Tunc enim multi variique ingenii vir ille machinam invenerat multoque impendio fabricaverat, cuius opera pro librariis opificebus, qui litteras in tabulis disponunt, sufficeretur. Verum neque machina haec quos ille speraverat fructus uberrimos dedit, neque Webster editoribus, quibuscum pecuniam ad vulgados libros sociaverat, res prosperae cesserunt. Quinimo cum brevi isti in decoctionem incidissent, Mark Twain pecuniam multam, sperans fore ut rem redimeret, solvit. Frustra tamen; quare peregrinari rursus non tam per Americam quam per Europam omnem invicto animo Samuel coepit suasque dissertationes publice habere. Denique Vindobonam recessit, ubi notus omnibus fama, quam optime meruit, vivit illustris. Ex qua quidem admiratione non ciuum suorum tantum, sed nostrarum quoque gentium evineatur aliquid in «Mark Twain» scriptis inesse, quod omnibus exultis viris probatum lectumque evadat. Satyra enim atque sales eius non tam ad risum movendum polent, quam etiam ad emendandos hominum mores: quae sane consilia, proiecta aetate, eius in animo creverunt, quippe quae iustitiam plene firmandam propius respiciant, et conentur maxime ut vivendi hoc genus et communitas hominum eiusque leges meliora, pro viribus, reddantur.

I. ANTONELLI.


DE NOSTRA DOCENDI RATIONE

DISCIPLINAM tradenti hoc exploratum esse debet, utrum docendi sint discipuli ut bene et seite aliquid faciant, an eorum tantum mens dirigenda atque exercenda, ut robur quoddam ad quaelibet intelligenda consequatur. Ad bene faciendum pertinet doctrina, ad intelligendum animi cultus. Quo fit ut haec schola, quam «classicam» appellamus, ad hoc praecepue accommodata esse debeat, ut discipuli non rerum scientiam acquirant, sed habilitatem illam in intelligendo, atque cultum, quo a vulgo secerni possint. Est enim schola haec nostra quasi aptissimus disciplinarum concentus, qui non hominem eruditum, sed cultum hominem efficiat. Absurdum enim videretur, cum in gymnasio et lyceo mathematicen, physicas disciplinas, litteras, philosophiam tradendas haberemus, has ita tradi ut discipuli mathematics architecti aut astrologi fierent, physicis disciplinis medici, litteris scriptores, philosophia philosophi. Sed inquirentibus nobis quae sit nostra docendi ratio, mira videtur esse repugnantia inter hanc docendi rationem et, quod supra dixi, in docendo propositum; cum mathematica, physica et reliqua omnia praecepta tam multa tradan-

tur et ita tradantur, ut unaquaque disciplina non via atque aditus esse ad animum excendum, sed per se ipsa scholae propositum esse videatur. Quod haud scio an ignorantia quadam docentium fiat: docentium dico, sed rectius eorum dixerim, publicorum hominum, quibus curae esse debet ratio docendi. Quae ratio cum ab iis iussa et praecripta fuerit, doctores quid possint?

Quoquo modo se habeat res, physicos doctores video tantam metallorum et lapidum varietatem discipulis expromentes et illustrantes, ut peritissimos lapicidas erudiendos dixerim habere. Nonnullos res gestas particulatim comperto narrantes, quasi ipsis discipulis historiae essent exaranda. Mathematics ita sunt comminuta praecepta, ut discipuli, quasi pulli, arripiant rostro, sed inutilem cibum arripiant. Quae disciplinae, cum ita tradantur et cum tot tantisque constant praeceptis, ut unaquaque per quindecim annos praecepi vellet, minime ad res physicas et humanas intelligentias valent. Qua re haud miror adulescentulos nostros, cum studia haec absolverint, plane ignorare quid in rerum natura sit homo, quid perito homini dicat lapis, quid narret mons; quid sint in rebus humanis aut senatus, aut rex, aut fora, aut liberales artes, aut religio, aut humanitatis atque cultus progressus. Communitas res singillatim hauserunt, integras rerum notiones non habuerunt. Neque id tam male esset, si tamquam comminuta in animo servaretur doctrina; sed haec memoriae labilitate ut pulvis desperditur. Quo fit ut discipuli supervacanea esse illa studia putent quorum nihil reliquum sit quod aut ad negotia, aut ad faciendum, aut ad intelligendum valeat; et cum ad malam docendi rationem naturae et iuventutis accesserit segnitia, nihil aliud esse existiment gymnasium et lyceum, nisi diuturnum in republica iussum laborem, quem sustinere necesse sit, quod ipsi iusserint magistratus. Sed nimium felix in humanis rebus esset schola, si et amaretur et bonam amoris causam haberet.

ANGELUS CASTELLINI.



VITA HOMINIS

*Pueri, videtis lilia
Nivea, micantes flosculos,
Rubentiaque rosaria?
Cepistis an vos myrrheos
Quos dant odores? Halitus
Queis istae acerrae suffiunt
Dium, vibrante sidere?*

*Hei, sole verso, protinus
Marcent, nec ultra fulgurant!
Non gloriantur lilia,
Rosa nec odorem praedicat;
Pulchri redundunt flosculos
Speciem, decus convallium.
Folium unione fulgido
Non amplius distinguitur:
Ros vult amoenos flosculos,
Verum relinquit marcidos.*

*Ah! vita nostra, filii,
Humana, quamvis gaudiis,
Honoribus, pecuniis,
Locisque nobis affluens
Videatur, et novissima
Habet, quidemque proxima.*

*Caduca serta temnire;
Miscete contra caelicas,
Pueri, rosas cum liliis,
Quae clades exstant inscia,
Vigent olentque in saecula.*

T. VIGNAS S. P.

COLORUM PHOTOGRAPHICA EXPRESSIO.

VIRRILL, americanus vir qui naturae secreta et leges investigatur, novissime reperisse dicitur rationem peroptimam, quam iamdiu photographeci artifices exquisiverunt incassum, ut imagines lucis radiis in chartam impressae non tantum formam figuramque suam praferrent, sed ipsos colores quibus, luce ministra, pinguntur. Quin etiam, ut re consilia sua confirmaret, eisdem scriptori, qui *New York Herald* diario exarando adlaborat, nonnullas a se iam feliciter editas sive tabularum sive amoenissimorum locorum imagines obtulit, quae colores suos mira veritate oculis evidentium redderent.

Attamen haec a Virrill illo sagacissimo ratio non tam inventa quam perfecta potius affirmari debet, siquidem Vidal primus, ac Lumière deinde ad «photochromiam» indirectam quam dicimus sedulo incubuerint ita, eoque perduxerint, ut vix umquam posset superari.

Neque est credendum quidem Vidal ipsum aut Lumière coloribus expressum hunc modum indirecte reddendi figuratas creasse; usi enim sunt principiis quae ad rem statuerant Carolus Cros atque Ducos de Hauron, qui, etsi alter ab altero seiunetus, anno MDCCCLXXIX suum idem inventum notum civibus fecere. Non eadem vero utrique docto viro laus, quippe Carolus ille rerum, quas repererat, historiam tantum enarraverit, Ducos contra etiam quae experimentis novissimis obtinuerat vulgaverit, atque deinceps, multis obstaculis superatis, passim omnibus plana reddiderit.

Ambo tamen editam primum a Prewsterio legem plane acceptarunt, quae docet rubrum, flavum, atque caeruleum colorem simplices esse atque natura sua distinctos, quibus vario pondere atque mensura et modo invicem commixtis, omnes lucis colores conficiantur, ita ut si rubro caeruleum colorem addideris, violaceum sis habiturus, si flavum cum caeruleo commiscueris viridem colorem, si cum rubro flavum confuderis citrinum videoas. Huiusmodi experientiis innixi hoc modo illi rem disposuerant: primo assueto ritu tres quas dicunt vitreas imagines «negativas» faciebant, primam vero ita apparantes ut omnes in ea colores imprimerentur, rubro excepto, alteram caerulei coloris vi privabant, tertiam flavi. Modo imprimebant imagines in chartulis «positivis», iisque translucentibus, et arte eo colore praeditis, qui negativae vitreae imagini deesset, ita ut singulae hae imagines apprime superimpositae perspicuitate sua

imaginem unam monstrarent, cuius colores colorum redderent rei photographiae expressae.

Patet ex dictis ratione hac primum colores dissolvi oportere atque tripartitos imprimi, deinde superimpositis chartulis unicam imaginem iterum componi, quae oculis subiectae rei vivum adspectum expromat.

Atqui dissolutio huiusmodi tribus vitreis parietibus fit, quae, quasi obstacula, inter obiectum quod reddi debeat atque photographiam machinam interponantur; cum enim viridis paries opponitur, omnes lucis radii pertransirent praeter rubros, qui omnino prohibentur; quum violacea obstat, flavi contra radii intercipiuntur; cum denique citrina interponitur, caerulei radii excluduntur. Negativa vitrea hoc modo parata, cum imprimuntur, positivas contra imagines tres proferunt, primam rubram, flavam alteram, tertiam caeruleam, quarum singulae modo tenuiorem, modo densiorem maculam habebunt, iuxta singulorum colorum spissitudinem, quae ipso in obiecto sit. Tres imagines diligentia arte superimpositae colores a sole pectos simul et ipsae pingent.

At metu non sine multiplici difficultate artifices corripuerunt, ut praesertim vitrea haec obstacula iuxta colorum quantitatem perfunderentur, quae apte daret certis radiis aditum, certos contra praepediret.

Cum vero quis cupiat imaginem coloribus pictam vix momento temporis expromere, id faciet quoque cum chartulas illas tres translucentes nigro tantum colore impresserit, at singulas deinde sua luce illustraverit, sive rubra, sive flava, sive caerulea; quem ad finem lucernam parabit triplicem tribus vitreis munitam vario colore, cuius radii albam parietem simul percurent.

Fuit autem et ab Yves, gallico artifice, novum repertum medium, quo tres illae imagines distinctae, postquam per vitreos colores earum radii perfluxerint, speculis apte circumpositis in unam cogerentur.

Attamen quovis ritu quis utatur, numquam fidelem undique obiecti imaginem obtinebit, et quia non satis compertum habemus simplices colores tres tantum, quos diximus, re esse, et quia colores hi quoque tres pro varia vitrearum parietum, quae obiiciuntur, natura diversimode in chartulis imprimuntur. Quapropter ex animo speramus repertis ab americano viro rationibus, quas hactenus desideravimus, rerum veras imagines omnino posse referri.

A. L.

NICOLAI MACHIAVELLI SENTENTIAE DE CIVITATE.

▲ Absque hominum frequentia, nulla umquam civitas fiet magna. Quod humanitas et caritas afferunt; quam illuc convenienti cupidis ubique viae adeo tuto pateant, ut quisque ibidem lubenti animo commoretur.

▲ Exsilia viduant urbes hominibus, copiis, industriis.

Latine interpretatus est C. DEHO.

DE GUIDONIS RENI TABULA

S. IOANNEM PUERUM

EFFINGENTE.

QUAE dieas miracula, candide lector, Ioannem hunc puerum lectissimum flava coma, atque cincinna decorum, tam anxiis oculis intueri? Videtne, fatidico afflatu percussus, suae gentis liberatorem adventare? Eum tamen non ante cognoscet, quam, aetate provectus, longos post exantatos labores, longaque ieunia per deserta loca perpassus, ad Iordanis fluminis aquas Israel baptizaturus accesserit. Dum tempus properat, infusa ab alto omni virtute puer adolescit, Deique gratia eius in ore col-



S. Ioannes puer. (GUIDONIS RENI tabula).

Iacet. Apparet sane in eo Domini electio, eamque reddidit Guido Renius ea peritia, qua inter aetatis sua pictores celeberrimos est reensis. Cursinia gens, Etrusco sanguine nobilissima, tabulam Romae suis in aedibus, in Transtiberina regione, asservavit, qualem etiam hodie cives advenaeque demirantur, inter multa summorum pictorum opera atque prodigia repositam. Idque iure; nam sanctitas illa atque caelestis electio, quam Dominus in puerum infuderat ab alvo usque materna, ut esset « lucerna lucens ante Christum suum », miro artificio ephebi huius adspectu expressit Guido, fervida cogitandi vi sibi effingens illum quasi coram oculis vivum habuisse, quo maior, Domino ipso testante, inter homines non surrexit.

A. C.

DE "SYMBOLISMO",

FELICITATE quadam nostris temporibus accedit, ut quamplura, olim neglecta seu incuria hominum, seu adversis undique prementibus, obsoleta dein, postea prorsus relicta, nunc, praesertim effussionibus circa ruderam urbium antiquarum, reviviscere coepient et rursus florere. Quo factum est ut etiam characteres notaeque, quibus illi veteres utebantur, assiduo scrutatae studio, ni sono prorsus, significatione saltem innotuerint sua, et quod hieroglyphicae Aegyptiorum scripturae, quod cuneiformia signa, quod reliqua huiusmodi, paucis exceptis, ad antiquitatis populos pertinentia, contegunt, magno historiarum scientiaeque incremento, rebeat in lucem et coram versetur.

Nostra autem actas immortalitati sapientum horum nomina vovit, qui doctrinas amplificarunt, qui nova haec constraverunt itinera, qui nova elementa doctrinae doctrinis addiderunt. Verum illud prorsus mirabile quod in scripturis a difficulti ad facile trames potius deveniat, quam in difficile a facilis. Videmus quippe priscos delectari symbolis magis quam expositione vocum, facta referre magis per figuram et signa quam per litteras et vocabula. Anne et hoc infantiam humani generis indicat? Pueri quippe, et vulgus rude magis fabella quam historia trahuntur, etiam quo sumus in tempore, ceteroquin viris et litteratis exculto, et per parabolas doceri malunt quam per philosophorum praecepta. Quod initio illis, media iam aetate novo quoque populo contigit; populus enim aeternus puer. Quimodo sapientissimi inter architectos, pictores, et sculptores nonnumquam pulcherrima adinventionum suarum symbolorum sub vestimento texerunt, dupliceque pulchritudinis causam imposuerunt tum per quae opere praestiterunt mirabilia visu, tum per quae intellexerunt recondita simul in opere, quod dum occultat ostendit.

Neque nos id a consuetudine nostra remotum censeamus, quibus et sacra, et caeremoniae, ritusque religionis fere omnes symbolis raro carent illustribus. Per profana, per sacra symbolorum campus ingens, et huius duplex, meo iudicio, studiorum genus. Alterum est, in quo mens humana habeatur tamquam patiens, et quasi dimetienda ad mensuram, alterum, in quo habeatur tamquam agens, et quasi dimetiens ad dimetitum. Activum hoc eruditus nuncupant, in eundem et gratiae plenum, et ingeniosum, atque, ubi indoles rapiat, facile, breve, proficiens; passivum illud, laboriosum quippe, asperum, et (secunda, vel invita Minerva) instar Proculis lectuli, semper adeundi miserrimum. At symboli scientia ea est, qua adolescentium ingenia argumentose alantur, atque excitentur, et brevibus notionibus a praecopere susceptis, reliquum, quodcumque sit, omne, Marte suo, facillime adipiscantur. Symbolismus est enim ars quaedam et scientia, qua opportune ducamus ad ea interpretanda signa, quae symbolismus idem in rebus eodem tempore, quo



Fons maximus in Foro Agonali, Romae.

(Cfr. script. *De symbolismo*).

occultavit, ostendit. Multiplex inde symbolismi ratio, et utilitas multiplex; prima quidem habetur iuxta religiones varias et gentes, altera vero in eo, quod facillime, ne gentium quidem civitatumque lingua cognita, ea, quae figuris graphicis alii vestierunt, nos quasi phonetice expressa intelligamus; sonus enim per vocales et consonantes in immensum et infinitum fere protrahi potest; res autem subiecta oculis una et eadem semper est.

Non dubito plerosque fore, qui laevia, et supervacanea haec futura iudicabunt; at si animum ad ea adverterint, quae symbolico vestimento teguntur, facile indicium suum commutabunt. Aliud enim est oculis inspicere, aliud mente intelligere; color, proportio, architectura oculos et alliciunt et recreant elegantia et varietate rerum suarum; at latens in re symbolismus, ubi intelligatur, veritate, qua nihil deliciosius, reficit, delectat, expletque animum, et ineffabilem quamdam ingerit suavitatem, numquam recordatione deponendam.

Exemplo rem explicabo. Fac ut rufus quidam et rusticus fontem illum eximium videat a Berninio effectum Romae in Foro Agonali flumen aquarum quadruplex edentem, colossis ingentem, obelisco superposito cavernae in sublime emicantem, equo, cete, crocodilo, leone, serpente hic, illuc ornatum. Stupebit attonitus magnificencia, pulchritudine, ausu, arte.... Non ultra quaeras; nam si in villicum ex illis incideris, qui rem utilitate, non oculis probent, audies dicentem: Atqui ego reor fontes fieri ad utilitatem animalium et hominum; hic neutrum video. Utquid perditio haec? Visu pluribus erit hic fons pulcherrimus; omnibus autem erit utilissimus ille vici mei fons; si pluribus praevalent iudicia omnium, de fonte hoc actum est, et praestat meus.

Tu modo, lector, adi contemplarem, et dic: Lacus hic, in quem omnes labuntur aquae, Oceanum significat; ideo rotundus. Quatuor illae rupes, immania saxa, e lacu emergentes, qua-

tuor illi scopuli indicant quatuor partes humani generis, et regiones totidem orbis terrarum: Asiam, Europam, Africam, Americam. Gigantes, quos super unoquoque scopulo aut sedere, aut ferme recubare vides, singuli eiusque regionis maximum flumen ostendunt. Ecce Nilum velantem caput; nondum enim tunc temporis fontes eius et scaturigines repertae fuerant. Ecce Rha, seu Volgam, Europae maximum fluvium, ideoque regentem stemma Pontificis centris opus, quia Roma et Pontifex in Europa sunt; et quia nos Europaei artibus excellimus, excellit ipse insigni napis. Die modo de Gange asiatico, cuius tot sunt indicia in adspectu, in aureis nummis, in reliquis. Amazonum flumen in America pariter propriis adspice notatum signis. Specum quadruplicem autem tenent iuxta fluminum regionumque conditionem animalia; scilicet leo, equus, crocodilus, cete, serpens marinus, ut clarius rem pandant. At humanum genus, (hoc illi factum est), congregabitur; ergo quatuor illae rupes crescentes convenient in unum, et unum fiunt, super quo obeliscus, nempe fides - in Deum tendens - erigitur.

Dic, sodes: unde villico illi plenior deliciarum haustus ex facie monumenti ne, aut ex cognitione symbolismi, quo tot pulchra ostenduntur simul et obteguntur historice, geographice et prophetice simul?...

Hac de re, si lectoribus nostris aequum visum fuerit, placitumque, in hoc nostro commentario elucubratiunculas nonnullas de symbolismo

scribemus, quibus, quasi opportunitate capta, de profanis et mythologicis quibusdam, composite autem de iis, quae ad nos magis attinent, scilicet de symbolis Christianis, quibus et «catacombe», et monumenta quamplurima veterum temporum inscribuntur, disseremus.

SENIOR.

MADRITENSIA SOLEMNIA OB ALFONSUM XIII HISPANIAE REGNUM INEUNTEM.

DIUTURNI silentii, quo sum his temporibus usus, partim ingenita quadam scribendi socordia, partim familiaris meae rei curis strictus atque distentus, partim... (ne, quae vel ipse nescio, curiosi quaeratis!), finem hodiernus dies attulit, idemque initium a Marco Tullio Cicerone furandi quae scripsit olim, orationis exordium ciens pro Marco Marcello. Nonne vobis, o lectores *Vocis* (et non auditores tantum), singulare hoc videtur, quod homo ego, cui supercilium grave, cui barba et erinis (proh iniqui!) iam plumbei, redeam ad amoena illa adolescentiae tempora, quibus dabam operam studiis, et lactitia gestiam, velut illi Curiae parietes, qui, Tullio eodem interprete, gratias agere Caesari, mediusfidius, gestiebant? Atqui adeuntes oppressissent.

At ea me, quibus intersum, in laetitiam agunt; non enim umquam grandia me, generosa, magnifica marmoreum et gelidum attigerunt. «Et facere et pati fortia Romanum est»; hinc ego, cui Romani sanguinis aliquid in venis adest, Romanaque est indoles in mente, et studia Romanis disciplinis imbuta semper cordi fuerunt,



Fons maximus in Foro Agonali, Romae.

(Cfr. script. *De symbolismo*).

maximi Hispanam gentem existimo nuper du-
rissimis probatam casibus, ac tamen de virtute
sua, de futuro non desperantem, quinimo magno
animo praeterita reparantem damna, et fortiter
tempora meliora petentem. Si enim concordia
parvae res crescunt, Hispanae res, quae motu
civilium temporum, quae conditione humano-
rum eventuum imminutae fortassis at non exi-
nanitiae sunt, novi regis sub auspicio, diuturnum
adorientis imperium, in pristinum apicem
rediturae videntur.

Hac igitur de causa, non errabundo ingenio
meo morem gerens, Madritum veni, ut oculis
ea meis contemplarer, quae fore sperabam; et
ex hac urbe gloriosa, ex hoc nobilissimo po-
pulo, requiem in hospitio nactus brevem, vobis
haec scribo, ut sciatis me testem esse eorum,
quae refero, testemque recentem. Grandia qui-
dem, solemnia fuere intuentibus; at mihi altius
perscienti, et cogitanti futura, spem bo-
nam certamque, quinimo fidem certam spon-
dent et praefrerunt de iis, quae sequentur.

XVI kal. Iunias est dies, quem laetis tota
urbe concentibus musicae turmae certatim oriente
sole consularunt. Frequens occupat populus
vias, maturans tamen ut propior sit pompa, quo
possit, dum ab arce regali ad palatum, ubi
senatus populique oratores conventum habent,

regius adolescens, more maiorum coruscans, in-
cedit. Iamque tormenta bellica cavo aere toni-
trua effundunt late reboantia, iamque multitu-
dine innumerabiles gentes coram stantes in pla-
tea, in fenestris, in tectis, ubique, oculorum in-
tendunt aciem, et fremitu secundo ex regiis
aedibus, regalium curruum ordo lente procedit.
Nihil hisce curribus umquam et usquam vidi
magnificentius, nihil equis trahentibus pulchrius
visu fuit; lora, phalerae, frene sole adverso
scintillabant; et morae frenique impatientes
equi solemnitatem diei, admirationem populi,
pulchritudinem suam, divitias tractorum curruum
intelligere, et quasi gloriari videbantur. Quadra-
tum atrium ingens, cui a dextris est aedificium
mole, elegantia et armis inclusis toto celebreri-
um orbe terrarum, equitum turmae servabant,
ut spatium exeuntibus domo esset. Anne cre-
detis? Et tamen certa narrabant proximi in-
dicantes rostra, fenestras, cavaedii latus: Zetam
illam, dicebant, regius occupat filius, qui modo
rex noster, atque illinc, — et fenestram et rostra
indice notabant, — quotidie mane despicit, hora
statuta, vigilum custodumque cohortes subeuntes
ut relevent, qui noctu palatia custodierunt excu-
biis. Idem semper, et praesens, quasi nominis et
maiestatis oblitus, Hispanum se tantummodo
esse gaudens, adeuntem populum undique con-

salutantem risu serenus benigne nutu capit is
accipit. Proh quanta spes nostra in hoc uno
haeret, ac trepidi contuetur decoris hispani sol-
licita, venientium temporum non ignara! —
Fideles animae, fraudis et prodigionis ignarae,
vilia prodigionum nobiliter indignantes, et vobis
et regi vestro sint, quae cupitis, sint quae spe-
ratis!

Haec mihi vota surgebant animo, dum octo
equarrii, caliendris pro crinibus certe spectandi,
nec minus purpureis indumentis auro inter-
textis, acque aurea descriptis, apparent, pone
quos aulae regiae tubicines pileo trilatero, Fri-
derici nomine designato, productis e tubis pen-
denta vela, inscripta regio stemmate, ferentes,
sequuntur. Tum clavarii palliolati, et capillo-
rum candore superposito insignes. Ecce armi-
geri, quos et « scutarios » et « scutigerulos »
vocant, qui regiis equis et stabulis praesunt, qua-
tuor equos egregios manu moderantes, Mau-
rorum ritu et magnificentia stragulis ornatos
adducunt, et post hosce regii filii et regiae
matris equos alios ephippiis instructos fulgen-
tibus; inde duodecim rursus procedunt equarrii,
nutantibus et errantibus oculis meis a quadru-
pedibus, forma, specie egregiis, ad homines
indumentis insignes. Haec pompa veluti prima
pars; mox ea, quae curribus constat, visu et

11]

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

XLV. — PASTOR ET MARE.

*Pluribus, ex ovium proventu, vixerat annis
Vir, cui campus erat proximus Oceano.
Exiguo censu, certo tamen, ille beatos
Ducebat, vacuos ambitione, dies.
Hunc insanus opum, quas saepe ad littora vidiit
Advectas, tandem sollicitavit amor.
Vendit oves; credit male fidis fluctibus aurum;
Aurum naufragio mox tamen omne perit.
Pascere tum rursus vir noster cogitur agnos,
Nec laetus proprii pastor, ut ante, gregis.
Quique pater fuerat Melibaeus nuper et Aegon,
Damoetas⁽¹⁾ nunc est, praetereaque nihil.
Post annos aliquot reparat dispendia questu,
Unde viro multae rursus emuntur oves.
Tum placidos portus cum prospera vela subirent,
(Quippe animas venti continuere suas):
— « Rursus - ait - vos, Nereides, mea poscitis aera?
Haec alii tradant; non tamen ipse dabo.
Ludicra nec mentis sunt haec figmenta iocosae,
Rem gestam verae pagina nostra refert.
Denis, crede mihi, quos spores, assibus assem
Anteferas unum, quem premat ipsa manus.
Vive tua semper contentus sorte; nec illuc,
Quo trahat ambitio, quo mare, caecus eas.
Innumeros heu! ambitio pelagusque fecellit;
Praemia vix unum, damna aliosque manent.
Promittit montes auri Neptunus, at heu!
Auri vim praedo saepe Notusque rapit».*

XLVI. — ASINUS ET CATELLUS.

*Invita caveas quidquam tentare Minerva;
Gratia, si tentas, non erit ulla tibi.
Rusticus ingenio, quavis se corrigat arte,
Perget ab urbano vivere more procul.*

⁽¹⁾ Damoetas mercenarius erat, cui suas Aegon pastor oves
commiserat, ut patet ex his Vergili versibus (Bucol. III):
Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? An Melibaei?
Non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.

*Paucis, quos fovit nascentes sidus amicum,
Hoc natura dedit: sponte placere sua.
Horum tu noli, rudis, affectare leporem,
Ne par sis asino, quem mea dicta petunt.
Censuit is, lepidam fore rem dignamque fideli
Servo, blanditiis si cumularet herum.
— « En - meditatur - herum delectat heramque catellus
Blandulus iste suis ac trahit illecebri.
Sicque comes coenis adhibetur herilibus; in me
Dum servorum eheu! verbera dura pluunt.
Ille tamen miri quid praestat? Porrigit ultra,
Sive ad iussa, pedem; basia reddit herus.
Basia nos etiam simili captabimus arte;
Ars ea nil studii, nilque laboris habet».
Egregios tacito dum versat pectori sensus,
Cernit herum laeta fronte redire domum.
Ilicet attollens, ubi tritior ungula, calcem,
Calce pia domini mulcet aratque genas.
Quod facinus praeco pollens ut mutiet orbi,
Vox asinina simul, buccina clara, sonat:
— « Proh superi! quae blanditiae! quae gratia vocis!
Heus! - strepit ulti herus - tu mihi, fustis, ades ».
Fustis adest, asinumque docet mutare tenorem;
Haecque fuit lepidi clausula moesta ioci.*

XLVII. — MURIUM PUGNA ADVERSUS MUSTELAS.

*Non secus ac feles, mustelae, corpore longo
Bestiolae, bellum muribus acre movent.
His nisi castra forent angustis praedita portis,
Caedem vix aliquis musculus effugeret.
Soricibus cum favisset fecundior annus,
Agmen rex magnum Rosor ad arma vocat.
Mustelinus item capit arma exercitus; hostes
Pugnant; pugna diu sorte fit ancipi.
Campum non unum legio non una cruentat;
Damna tamen mures flebiliora ferunt.
Quorum tota acies, ut martem sensit iniquum,
Solvitur insana praecipitique fuga.
Obsistunt frustra Meridarpax atque Psicarpax,
Et niger Antarpax pulvere sanguineo.
Diffugunt pavido proceres cum milite, postquam
Fortem quemque vident occubuisse ducem.
Turba minuta quidem, minimum vix nacta foramen
Haud aegre potuit consuluisse sibi.
Non ita primores: horum vel plumea frontem
Crista, vel ornabat cornibus auctus apex;*

*Seu nitidi cuperent incedere, sive putarent
Hostibus inde magis se fore terribiles.
Hinc tamen exitum: cristatis nulla sat ampla
Usquam rima patet, nullaque cornigeris.
Huc illuc discurrentes urgens necat hostis;
Plebec dum tellus, hospita larga, tegit.
Cristatum non parvus obex caput; inter et arctos
Calles, ampla solet pompa subire moras.
Vulgó multa licet vitare pericula, summis
Unde viris nullum pandit effugium.*

XLVIII. — SIMIUS ET DELPHINUS.

*Vectis Oceano Graecis comes esse solebat
Scurra facetus, item simius atque canis.
Tales forte gerens vectores, fluctibus acta,
Palladia periit non procul urbe ratis;
Omnis et in navi periisset naufraga turba,
Huic nisi delphinum pinna tulisset opem.
Scilicet est delphin humanae gentis amicus,
Candidus ut docuit Plinius historicus.
Quos igitur potuit, servavit piscis, et ipsum
Vix non simiolum reddidit incolumem.
Hunc delphin, ratus esse hominem, sua scandere terga
Iusserat; ipse, libens, munus agebat equi.
Simius haud aliter sedet, ac gravis ille tragoeodus,
Cuius fama recens cuncta per ora volat.
Iam prope littus adest, cum delphin quaerit, Athenis
Num suus, et clara stirpe, sit ortus eques.
— « Non est - vectus ait - potior me civis in urbe;
Cognati mihi sunt, lumina prima fori;
Frater ibi praetor: quare si res vocat huc te,
Officiis uti ne vereare meis ».
Delphinus, grates referens: — « Piraeus, opinor,
Te - dixit - viso sospite, laetus erit;
Hunc tu creber adis? » — « Creberrimus - inquit - eumdem
Arcta vetusque mihi iungit amicitia ».
Ignorabat hebes iactator, nomen id esse
Portus; eximium credidit esse virum.
Nec desunt hodie, queis audit Sequana Tibris,
Quique, rudes cum sint, omnia nosse volunt.
Ridens delphinus, propius sessoris in ora
Respicit, et pecudem comperit esse meram.
Excudit audacem, quaeritque per aequora rasta,
Si, cui succurrat, forte supersit homo.
(Ad proximum numerum).*

admiratione digna succedit; et vos modo sinatis me calatum retrahere a describendis; non enim hisce curribus excellentius quidquam et mirabilius mihi fuit. Quidquid possint artes pingendo, sculpendo, decorando, ditando, hic omne et omnia profusa manu, arte, ingenio fuerunt. Hic quatuor, hic sex equi trahunt currus; at struthionum plumis superbunt equi, superbunt auro; superbunt interdum rutilantibus, nescio quae, optimates hispani, qui *Grandes* nominantur, aulae regiae assidentes, viri amplissimi qui regis a consiliis, maximis qui funeti munieribus, equites Calatravae, equites a Santiago, micantes insignibus et amictu equestris ordinis, quisque sui; tum regiae sorori addictae patriiae, tum regiae matri; auro lucent gemmisque homines, auro scintillant currus; equi argenteis, aureisque referti procedunt. Et succedunt loricati equites, disciplina illa antiqui equitatus, quo Hispani Saracenos toties fuderunt. Hinc et inde ex hac militia fulgentissima ordo est, medios includens, expectationem et narrationem omnem longe praeverentes, currus; quippe in hisce vehuntur, qui e sanguine regio Hispanorum sunt, nempe Elisabeth Eulalia, pone Princeps Asturiae, una cum principe femina; hi duo pilento feruntur ex iridescenti concha prorsus conflato, et versicolori toties pulchritudine passim admirabili percellens oculos, quoties procederet, quoties resisteret. Octo denique equi, (hercule! quid ferrent probe norant, non enim superbiores, non graviores umquam incessissent!) octo, inquam, equi vehunt ingentem, triumphalem currum, ubi regia soror, regia mater, ubi rex idem. Qui vix primum apparuit, vix viam, lente quamvis, arripuit, vix iter prosecutus est currus iste mirabilis, a circumstante populo, a circumflente, a fenestris, a pergulis, a rostris, a perystiliis ingens, immanis acclamatio, plausus, omina. Qua in re vidi populi sensum; tacitus enim praecedentia omnia spectavit; at ubi ad regalem familiam ventum est, eos in clamores, eas in voces, ea in omina repente prorupit, ut ipse fremere aliquid singulare in me senserim, et corde subsultante non modo audirem, non modo exciperem altius potentiusque, sed lacrimis obortis, nescio qua praesertim de causa, sed causis fortasse omnibus una simul, genas rigarem.

Vos miramini nunc nihil me dicere de cultu feminarum adstantium, de series, de aurophrygiis pro parietibus ordinatis, extensis... Vidi omnia, sed me rapiebant duo: pompa, quae ducebatur agmine lento et magnifico; tum regalis familiae exspectatio, tum huius adventus, tum erumpentes illae voces, quae tonitrua aequabant, et contonantum tormentorum fragorem superabant...

Itaque ventum est ad palatium, in quo publicus legibus ferendis coetus congregatur. Illud regina mater et rex ingrediuntur; illa regnum traditura filio, hic accepturus. Senatus et oratores populi repente in plausus prorumpunt. Caeremoniae absolvuntur singulæ circa regni traditionem; regius adolescens militari habitu, ceu supremum imperatorem militiae decet, auro et adamantibus fulget, quippe insignia praecipua hispanorum regum equestria pectore praefert, ab aurei velleris torque ad numisma Caroli IIII gemmatum; firmus vultu

iusiurandum praestat rogatus, quo se hispanarum gentium felicitati devovet coram Deo et hominibus. Sonant regia verba medium inter silentium, sequente absoluta plausu, plausu, quem quot extra sunt exceperunt, et vocibus festivis et novis tradidere plausibus tota urbe iteratis.

Iamque revertuntur omnes ad currus, et quo prius agmine, Madriti viae peragrantur. Hic vero nova plausibus causa fuit. Rex enim deflecti pompam iusserat in regiones urbis, quae sunt humili populo frequentiores. Intellexerant omnes, quid hoc iussu rex indicasset; totius enim imperii eius quasi sponsio et quasi promissio quaedam erat. Atqui, o quam suaviter novus rex appellabatur a gente illa, quae nihil sibi tale sperabat!

Ita porro ad S. Francisci, templum Madriti maximum, pompa solemnis petiit, ubi magna cereorum gloria, magna caeremoniarum, vestium, candelabrorumque, concentuumque apparetu Deo gratiarum actiones.

Sed finem epistolae heic imponam tum quia fines omnes epistolae excessi, tum quia et mihi et sexcentis impossibilis fuit aditus. Sudore madens domum revertor, ubi de crimen quodam in regem per vias tentatum sollicite trepidique ab hospitibus meis interrogor. Ego vero nihil perceperam, neque maiores, quam vos, o lectores, a diariis comperuistis, easque certiores notitias haurire inde mihi datum est. Quid igitur? Plaudimus Alfonso regnum feliciter ingresso; iterum plaudimus si scelesti hominis nefariam petitionem, Deo opitulante, effugit!

A. VIEILLOT.

DE EXTERMINIO ANIMANTUM AGRIS NOCENTIUM

IAM ab anno MDCCCLXXXVII, Gmelin viro bellum adversus agris tunc ingruentem perniciem provocante, naturalis historia et zoologia aliquid utilitatis de se sperandum dedere, quippe quia compertum est inde efferri posse, quod animalium agris nocentium retardaret impetum, quod rabiem cohiberet exitio, plantasque, et herbas, et arbores hominibus utiles tueretur. Quid feram? Plures a saeviendo in hosce vermiculos (« insecta » vulgo appellamus) ridicula quaedam supersticio terrebat; namque sacrilegio se implicari formidabant, si punientis Dei ministros (tantum honoris adscribent animantibus!) morte multassent. Atqui homines hi scitissimi medicamenta et medicos invocabant contra febres et ulcera, et mortis tela omni pharmacopolarum meree et industria tardabant. Plures... terrebat labor, sollicitudo, cura quaerendorum, occidendorum. Nec desunt monumenta rerum; Landmann enim, scriptis praelo datis, anno MDCCCLXXX, « coleopteri » Helveticorum vineta vastantes quominus excinderentur prohibebat; dum tamen Schafer (anno MDCCCLII) bruchos messibus frugibusque infensos, famemque cientes, exterminare adinventione sua quadam docebat. Goeze, deinde, de exterminio animalium agriculturae inimicorum non modo cogitavit, sed monuit ut ad restinguendam pestem illam in campus insererentur certa vicissitudine annorum semina perniciosa vermiculis; ita can-

nabis in horto inter crambe et brassicas, sambuci inter messes non decessent.

Mox plura data et praedicata sunt, qnibus agricolae sua tuerentur. Iam inde habemus irrorationes ex aqua, cui commixta calx, cui commixta cinis, cui petroleum, acetum et sal, cui tabaci decoctus, cui nucis foliae, cui assa foetida, cui gentiana, absynthia miscebantur. Usi sunt iam inde coloni fumigationibus ad pediculos plantarum (« aphidi » dicuntur) occidendos; tum aspergine medicata rorabant eo ritu, ut madeficerent foliae et cortices, quasi irrigua diciente pluvia.

Anno MDCCCLXX aptari coepere zonae, fasciae truncis arborum, ut formicae, climaces, bruchi et cetera huiusmodi arcerentur, tunc visco adlini in gyrum vites, mali, pomiferaeque arbores omnes. Quinimo eo perventum est, ut aves, quas vermiculis pasci norant, iuxta arbores plantasque tuendas alligarentur. Igitur iam inde a medio saeculo XVIII bellum atrox nocentibus vermiculis indictum erat; nunc autem, chymica et microscopio adiuvantibus, longius processum est. Nec tamen finis, nec tamen victoria, quippe hostes quotidie crescent. Ecce « oedium », « philloxera », « peronospora », musca olearia... E quando finis, ut quae cum labore serimus, in pace metamus?...

P. ALEXIS.

ANNALES

Boerorum Anglorumque pax — Cuba insula libertati redditum — Chilensem Argentinorumque foedus — Sinenses res.

IV Nonas Iunias nuntium tandem illud auspiciassimum Kitchener, anglorum imperator, misit, pacis chirographum Praetoria in urbe tum a se et a Milner, anglicae coloniae praeside, tum a Boeris ducibus esse subscriptum. Eduardus rex statim faustissimum eventum populo communicavit, neque facile dictu est quanto gaudio quanta laetitia optatam tamdiu diem populus illuxisse audiverit. Pompa statim per Londini vias deductae sunt, faces incensae, choeræ intextae populariumque concentus atque clamaciones densis vocibus ingeminata. Iisdem plausibus accepta res in municipum curionumque comitiis inque senatoria aula; paeneque unanimi suffragio Kitchenerio imperatori ingens pecuniae pondus praemii nomine conlatum ex aere publico, titulusque tributus, quo in optimatum ordinem exciperetur. Nec dissimilibus in eunditatis significationibus rem audire coloni omnes, qui ubique terrarum anglico nomine et legibus et lingua vivunt. Consenserunt anglico gaudio diaria omnia quae tam diuturnum, asperum, cruentumque bellum honesta pace utrinque compositum videre, ita ut nec victores poeniteat sese generosa liberalitate in pacis conditionibus edicendis cum victo eodemque strenuissimo hoste esse usos, neque pigate victos tam liberalibus atque humanis victoribus sese tandem aliquando arma dedisse.

Quapropter emicuerunt iam concordiae fructus vel in primis coetibus, quos victores victique simul habuerunt, Kitchener duce victis gratulante ob virtutem illam, quam a biennio et

amplius patriae suae nomen libertatemque adseruere, inde Dewet tribuno hortante suos, ut quibus hostes fuissent acerrimi, iisdem forent candidi amici.

★

Similis triumphus pacis, etsi eum nova haec concordia voce sua et plausu orbis universi quodammodo obscuraverit, Cuba in insula paulo ante fuerat celebratus. Illic enim, iuxta ea quae iam ante initum cum Iberis dominantibus bellum Americanae nordicae civitates sponderant, reddita populo sua libertas est, iusque datum suas res soluto arbitrio magistratum, quos ipse elegerit, regendi atque administrandi. Novus praeses itaque populari suffragio electus est Estrada Palma, vir iberico sanguine clarus, qui iam administratorum collegium sibi adiunxit, quibuscum omnia munera publica completerat atque expediret. Iis itaque militum Americanorum duces, qui hactenus militari manu summam rerum fuerat moderati, suum imperium solemni ritu tradidere, reservato sibi munere militaribus officiis pro tempore vacandi atque tutelae civium publicaeque auctoritatis reverentiae invigilandi, quod tamen fore aliquando speramus, ut Cubanis quoque civibus munus relinquatur. Sic enim ab aliena dominatione plane eretti sibi dominari atque inseruire ipsi addissent.

★

Nec desunt alia pacis consilia; Chilenses enim atque Argentini populi simul ea celebrarunt, quorum simultates atque aemulationes non semel recoluimus flagrasse vehementius extremo hoc tempore, ob iurgia quaedam circa regiones finitimas atque montanas inter utriusque reipublicae fines occupandas; quod ius utraque gens sibi adrogabat, adiectis haud semel minis, armorum experimento se usuras ad litem dirimendam. Timentes autem Europae praecipue gentes ne, novo illo bello inter populos uno eodemque sanguine natos, gens iberica quae Americanas inferiores oras occupat nimis deperiret, timentes simul ne commerciis cum iis initis auctisque invicem detrimentum inde eveniret, suaserunt contendentibus ut, antequam ad incerta Martis decreta confugerent, pacis componendae pactum inirent, atque vocarent aliquem populum utrique parti acceptum, qui arbiter discordiae sederet eamque, tuto utriusque iure, dirimeret. Anglus itaque rex anglusque populus selectus est, qui per legatos suos ad rem missos, re mature perpensa, eas condiciones pacis proposuerunt, quae utriusque genti acceptabiles visae sunt. Rata itaque Bonearensi in urbe pax et in Valle Paradisi; utraque in urbe a magistratibus subscripta, feriaeque laetissimae habitae, ob amotum longe belli periculum gaudiaque et beneficia pacis diuturnum ad tempus roborata atque confirmata.

★

Laeta inter haec renovatae seditionis discrimina per Sinense imperium contingere compemimus, ex provinciis praesertim, quae meridiem spectant. Quamquam seditiosae turmae ipsam provinciam regiam Pe-tchi-li iterum perturbavere, neque missi contra tumultuantes imperatoris milites victores semper e proelio discessere.

Itaque rursus pervastati agri, oppida eversa, Christicolarum praesertim domus et templa deiecta, interfictique nonnulli Evangelii praecones, Germani quidem et Galli. Qua de re legati Europaeorum, qui Pechinum urbem incolunt, suas iam protestationes coram Imperatore obtulere, qui eriminum reos capitum damnasse fertur, et Favier Episcopum Pechinensem, Gallum, primi ordinis in magistratus renunciasset, dignitatisque insignia ei tradidisse, bullam auream in summo pileo circumferendam. — Vetus est ludus: « oscillo moveri »!

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Anglia proclamata coram municipibus Anglo-rum Boerorumque pax: multis suffragiis conlatum Kitchenerio imperatori quinquaginta millia anglarum libellarum praemium, atque patricii nomen concessum.

In Gallia, convocatis novorum oratorum comitiis, Leo Burgeois ut popularium oratorum coetibus praesit electus: Waldeckio Rousseau autem eiusque collegis sponte sese munere abdicantibus, Combes senator suffectus, qui novos sibi socios ad rempublicam gerendum adiungeret.

In Germania iterum probata rogatio de publica pecunia erganda ut Polonorum regiones, quae Germanico imperio addictae sunt, paulatim in dies germanicis moribus, sermoni, atque institutis aptentur: hac de re Wilhelmus ipse Caesar in ferialibus quas cum equitibus e Teutonico ordine solemniter mox habuit, orationem dixit.

In Iberia Canalejas, qui agriculturae praepositus fuerat, ob exortas dissensiones cum Sagasta praeside, de coetibus municipum in praesens advocandis, a munere recessit; eique Soarez, qui alter a praeside aulae municipum erat, suffectus est.

In Italia de summa expensarum pro publicis oneribus muneribusque ergandis disceptatur: de bellica re atque de agricola praesertim nonnullae rogatae leges ut tribunis militum centurionibusque respublika magis favaret, ut cultura sylvarum redintegraretur, ut agriculturarum conditio redderetur melior.

In Serbia cum Nicolaus Pesic commissum sibi mandatum novos eligendi administros explere haud valuerit, res Vuic legato populi redditum, qui dimisso mox socios iterum ad se vocavit.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

Dott. LUIGI ZENONI. Per un verso di Orazio. — Nota critica — Venetiis, ex officina Sorteni et Vi-dotti, MCMI.

Breve, sed densum opus atque eruditum dedit vir cl. A. Zenonius. Is, repudiata eorum audacia, qui verba scriptorum suo marte mutare et corrigere conantur, quaestionem aggreditur de versu Flacci Carm. VIII, lib. IV, XVII: *Non incendia Carthaginis impiae*.

Versus hic aliis expungendus visus est, aliis corrigendus, his fere de causis; primum quod caesura, contra metri legem, sit in principio vocabuli, quo terminatur coryambus: *non incendia Carthaginis impiae*; deinde quod poeta P. Corn. Scipionem Africanum maiorem, qui victo ad Zamam Hannibale, domita nomen ab Africa-lucratus rediit, quem Calabriae Pierides (id est Ennius) cecinerunt, confundat cum Africano minore, sive Aemiliiano, qui Carthaginem incendio delevit anno CXLVI; — denique quod praeter Flacci consuetudinem Carmen hoc non sit *τετράστικον*.

Respondet A. Zenonius eadem caesurae licentia usum esse Venusinum poetam aliis in locis, in quibus, si quis forte notet agi de nominibus compositis,

animadvertisse posse, etiam « Carthaginem » nomen esse compositum ex duplice vocabulo punico, idque T. Livio fuisse compertum, iuxta Servium ad Verg. Aen. I, 306: « Carthago est, lingua Poenorum, nova civitas ».

Errorem historiae aut nullum esse aut venia dignum dicit, allatis doctissimorum hominum sententiis, quorum alii memorant, etiam Africanum maiorem incendia plura excitasse; cuius rei auctor est Livius lib. XXX, V, 43; ita ut per « incendia Carthaginis », intelligi possit, non « Carthago incendio deleta », sed « incendia Carthaginiensibus illata », alii vero non diffitentur Flaccum errasse, neque hoc loco tantum, sed etiam in Satyra I, lib. I; habere tamen socios erroris haud contemnendos historiae scriptores, quales Polienus ac Lucianus; alii denique in eo versu mentionem nullam esse contendunt nec deletae Carthaginis, nec Scipionis Aemiliani; verba illa: « reiectae retrorsum », non esse tantum referenda « ad Hannibal minas », sed etiam ad « incendia Carthaginis impiae » cumque « incendia Carthaginis » idem sonent ac « incendia Poenorum », haec autem « reiecta retrorsum » non alia esse possint quam quae Hannibal bello patrata sunt, idcirco nullum errori esse iam locum.

Denique quod carmen haud sit *τετράστικον*, id nihil habere admirationis, cum lex ista sic dividendi versus series nullo antiquitatis fundamento nitatur, sed a germanico viro A Meinekio lata sit, contradicibus multis.

Haec et alia, quibus occasionem quaestio ipsa praebuit, docte ac venuste persecutus A. Zenonius, censet eius versus receptam vulgo lectionem esse retinendam.

P. ANGELINI.

AENIGMATA

I.

Ore rubore velis subito si dentem elephantis Materie et nitidum et pretiosum verteris. Aude! Transfer utrumque sonum camporum ad fertili-

[tatem].

II.

(Permutatio vocalis).

E. — Te restituit quondam cunctator et unus.
O. — Lacrimis madefacta tuis natura vigebit.
U. — Tua amoena alma est gratum lemma

[poeticis].

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

IN DIVUM ALIOSIUM GONZAGA
CARMINA
CARMELI PEZZULLO.

Aenigmata an. V, n. VIII proposita his respondent:

1) Sol-idus; — 2) Fanum, Fenum.

Ea rite soluta miserunt:

Th. Vignas Sch. Piar. — C. Tranchese S. I., Neapoli. — Car. Stegmüller, Sabaria. — Guil. Schenz, Ratisbona. — Princ. Gordon, Mancunio. — P. G. Z., Modoetia. — Lud. Podobinski, Cracovia. — I. Teixidó Sch. Piar, Barcinone. — Ad. Skrzypkowski, Swinice. — Rich. Malotta, Brzozów. — A. Mesek, Travnik. — Lud. de Rubeis, Iguvio. — I. G. Grünes, Nicolsburg. — I. Sernatinger, Dresden. — H. Gini, Taurini aquis. — Aug. Macer, Seccovio. — Coll. Schol. Piar, Stellae. — V. Hertel, Mendhusio. — Ad. Huza, Grybovia. — Alex. P. Gest, Lamberville. — Alois. Battisti, Marauia. — Alois. Cappelli, Senis. — Ver Cariolato, Vicentia. — Petr. Garrone, Pezzana ad Vercellas. — Ios. Wabner, Varsavia Poton. — C. Perazzi, Mangalore in Indis. — Fr. Sallarés Sch. Piar, Sabadello. — Nic. Diederichs, Seccovio. — Ioan. Cantone Ceva marchio, Vercellis.

Sortitus est praemium

C. TRANCHESE,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

CONSTANTINI PISONI

CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM EXCELLENS, PRAEMIIS INSIGNE


ab anno MDCCCIII constitutum

Romae in Italia, Corso Vittorio Emanuele 127-129 et Via de' Sediari 1, 2, 3.

Vaticanan Basili-
cam instruit, quoties
de Beatificatione aut
Canonizatione so-
lemnne sit.

Clientes frequen-
tissimi sunt in Urbe,
in Italia et apud ex-
teras gentes.

Fama
undique manavit.



Cereas faculas ad
noctem conficit, eas-
que ad decem usque
ac duodecim horas
diurnas, Ecclesiis
ac familiis necessa-
rias, quod pars-
moniam cum salu-
britate et munditie
conjugant.

Vitreas
faculis suppeditat.

OPIFICII PISONI PROSPECTUS
ROMAE, Via Ortì Alibert 13-15 (Lungara).

Res per omnem orbem exportatur nullo iubentium impendio

VARIA

Lethalis arbor.

Maiores nostri, quamvis fabula musicali, cui nomen *Africana*, delectarentur, attamen, ubi actio ad mortem Selicae perveniebat, genus illud lethi audiebant increduli, quod praeter omnem fidem putabant aliquem halitu arboris *manzanilli* perire posse. Nihilominus huiusmodi arbor exstat, quotidie animantibus omnibus, nullo excepto, fatalis. In insula Iava germinat; magna quidem truncu, ramis, et umbra; et indigenae *upah* appellant. Ex eius cortice, intra duo centimetra alto, quomodo cumque inciso, fluit humor, cuius vis immicabilis vena omnia praevertit, sive illo liniantur arma, sive potui ciboque minima quavis quantitate copuletur. Quinimo docti, illuc peregrinati ex Batavia, testantur a requie nocturna sub arbore illo captata paucos expurgisci; siqui ex pergiscantur, numquam revalescere, brevi morituros. Quae dementia nunc, quis furor talem arborem inferendi in viridaria nostra, ut botanicis tironibus coram sit? Numquid nobis causae mortis plurimae desunt?

Caspiumne mare recedet?

Nuper terraemotus narrantur agitasse in Euxino et in Caspio non modo fluctus, sed et litora, et ima; quo factum est ut e profundissimis gurgitibus, quamquam altioribus, rupes, areæ, saxa emerserint, quae in summo aquarum aequo videre nunc licet. Geologis igitur sententia est mare Caspium brevi peritum; fatum idem Euxino, sed in aliud huius saeculum fortasse finem. Quacunam circa rerum facies dum ista fient, praesertim si terraemotus in vulcanum processerit, si aquae maris in profunda illa ignea repente ceciderint?...

Balbuties, certa crescentes,
decrescentes periodo.

Eruditus vir quidam Americanus, medicae cultor artis, experimentis praepositis, diuque prospectis et respectis, singularem consonantiam invenit lunares inter vices et balbutientium impedimenta ac fastidia. Dominante luna, et exstante, balbuties magna; minor si luna defecerit, minima si prorsus erit absens ac tenebrosa; redire incipit frequens, ubi luna fiat nova. Tribus abhinc annis inter discipulos balbutientem habeo adolescentulum; quem vero modo magis, modo minus balbutiret, et causam quaererem, nec unde caperem invenirem, comperii tandem et ipse haec fieri iuxta incrementa lunae, et decrements. Siquid mea valuerit observatio, valeat ad veritatem. Quacunam causa rei? Quia luna germinantibus quibusvis modo prodest, modo nocet. Nobis autem cum arboribus et herbis germinatione vivere quadam commune est.

Loci.

Astutia adolescentis Marci.

Marcus quidam, non Tullius certe, legibus, sicuti antea philosophicis disciplinis, operam dabat. Hic, praeter historiam, cui nativa felicitate aptior erat, nihil, aut ferme nihil discere et perseguir solebat. Ubi ergo periculose aleae plena dies examinis aderat, coram praecceptoribus interrito vultu perstabat. Rogatus de lege, et quaestione proposita, utramque propositionis sententiam, saepe et tertiam exponebat, argumentisque vallabat, quae illico et immediate et ex tempore mens ibi suppeditabat. Qua astutia et quaestione una tantum tempus constitutum terebat, et facili eloquio minus callidos praecceptores percellebat. Itaque

semper victor et laudatus excesserat. Nasutus autem praecceptor Tribonianus, postquam ille copiam dicendi totam explevit, verboso strophas iniecit: — Age iam, et edic de tribus capillis; de his, quaenam, inter recensitas, vera sententia? — Marcus impavidus: — Illa, praecceptor, quam tam belle exornasti olim ex cathedra disserens; non enim discipulo, qui te colit sapientissimum, a te dissentire fas est, ac proinde iuro in verba magistri. — Exerto minus mucrone premens praecceptor, qui et advocatus erat: — Edic igitur, discipule, sententiam, quam ego tuli hac de re. — Et per vicaci fronte Marcus: — Utramque, magister, utramque; qui enim affirmas praecceptor in cathedra, proposita pecuniae vi, in foro orator negas; at sive orator vocari malis, sive praecceptor, idem mihi semper es religione summa colendus. — Quid responderet praecceptor? Non enim semel, nec bis coram iudicibus disseruerat, et interdum victor, contra illa, quae in schola discipulis proposuerat, atque tradiderat.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

GENNARO ANGELINI. *Le tombe dei re latini a Gerusalemme.* — Perusiae edid. Societas typographica cooperativa, MCMII.

D. M. BELLÌ. *Le regole generali della sintassi del verbo latino.* — Utini ex off. « del Patronato », MCM.

— Magia e Pregiudizi nelle satire di Persio e Giovenale. — Utini, ex off. Dominic Del Bianco, MCMIL. (Venit apud auctorem: Portogruaro — Veneto).

— Antologia Greca ad uso dei Ginnasi e Licei. Editio V novis scriptis aucta. — Liburni edid. Raph. Giusti, MCMII.

FRANCESCO SAVERIO SENI. *La Villa d'Este in Tivoli.* Memorie storiche tratte da documenti inediti con illustrazioni. — Romae, ex schola typographica « Tata Giovanni », MCMII.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS
TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE
ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE



IBER (vulgo "ALBUM")
praecipua Urbis referens, pulcri-
tudine insignis atque, commen-
tarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse
conflatus, apud eumdem commentarii admi-
nistratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,
ven. lib. 1.50.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, 87

**PROSPECTUS NOVAE SUBNOTATIONIS
A KAL. IULII USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII.**

(Vid. in secunda operculi pagina).

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datus est,

venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QUI PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Sociis qui in Nordica America versantur vehe-
menter commendamus quod a Sodalibus Carmelitis
novissime institutum est ac regitur

COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eamdemque Christianam et nostrae
aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae colle-
gium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Pre-
side, 6413 Star Avenue (Woodlawn) — Chicago,
Illinois.

LE LAUDI LATINE IL CANTICO DEL SOLE

E

S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum inter-
pretatione italica, *Canticum Solis*, neenon illa *Speculi perfectionis* capita,
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime
ali subsequuntur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam,
Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura.
Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in
pauperum levamen.

PHILIPPUS VITI Eques

MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina N. 51, 52 - ROMAE

Affabre sculpit quae sunt ad simulacra, altaria,
sacella, aediculas, uti patet ex operibus erectis
aut refectis in Basilica Lateranensi, Liberiana,
Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudo-
xiana, etc.